

















No 788.







DE POTESTATE CLAVIUM AC DISCIPLINA ECCLESIASTICA

propositiones, quas Iohannes Albertus, Paulus Matthias, & Iohannes Sascerides, artium ac Philosophiæ Magistri publico in Theologia testimonio donandi, 29. Martij (volente Deo) defendent, Præsidente Nicolao Hemmingio professore Theologo.

EXCVSAE HAFNIAE ANNO
M, D, L, VIII


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

PROPOSITIONES.

I

Potestas ecclesiastica est, ecclesiæ diuinitus commendata facultas, eaque spiritualis aperiendi & claudendi regnum cœlorum, illudque iuxta regulam certam administrandi, quo homines in hac vita agnoscentes Deum, sint templum Dei, tandemque resuscitatis corporibus, perpetuo Dei consortio fruantur in omni æternitate.

II

Hæc ecclesiæ potestas in scriptura nunc clauis scientiæ dicitur, interdum nomine clauium regni cœlorum designatur, vt Symbolo hoc, eius vis, ratio & vsus significetur.

III

Symbolica autem ratio hæc est: quemadmodum ei qui œconomus constituitur in aliqua familia, traduntur claues, quo omnia aperiat & claudat pro arbitrio domini sui, cunctaque dispenset iuxta patrisfamilias præscriptum: Ita mysteriorum Dei œconomi, ecclesiam Christi, quæ ipsius est regnum claudunt & aperiunt dispensantque omnia, pro arbitrio patrisfamilias Christi.

Scientiæ epitheton monet vim huius potestatis in docendo veram scientiam, sitam esse, quæ scientia à Zacharia definitur cognitio salutis per remissionm peccatorum.

V

Regni cœlorum epitheton, vt potestatem ecclesiæ a politica & œconomica distinguit: ita eius proprietatem veram manifestat.

VI

Nam cum claues regni cœlorum hoc est ecclesiæ, dicuntur, significatur quod illis aperitur & clauditur, non regnum mundi sed regnum cœlorum, idq; non pro œconomorum arbitrio, sed iuxta patris familias dei præscriptam regulam quæ est ipsius verbum.

VII

Cum autem constat regnum cœlorum aperiri & claudi prædicatione euangelii, constabit & illud, claues regni cœlorum nihil aliud significare posse quam munus & potestatem administrandi ecclesiam Christi, iuxta euangelium.

Proinde

VIII

Proinde cum œconomi regni cœlorum, hoc est euangelij ministri, monstrant nobis viam & ostium apertum in cœlum per prædicationem euangelii, & nos agnitione viæ & ostij nempe Christi præditi, fide in ipsum recumbimus, dicuntur cœlum aperire nobis suo ministerio

IX

Rursus regnum cœlorum claudere dicuntur cum testantur iram Dei super illos manere qui contumaces in sua perseuerant incredulitate.

X

Hæc reclusio & occlusio regni cœlorum, solutionis & ligationis nominibus designantur, vt quanta sit huius potestatis vis intelligatur. Nam cum soluere dicuntur ministri verbi eos qui vinculis peccatorum in regno diaboli constricti iacent, quando annunciant solutionem hoc est remißionem peccatorum credentibus in Christum. At contra ligare dicuntur quoties peccatoribus annunciant peccata non remitti, donec in sua incredulitate perseuerauerint.

XI

Hanc esse veram rationem potestatis clauium ostendit missio apostolorum in mundum. Sicut me misit pater ita ego mitto vos, dicit dominus. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, profecti igitur docete omnes gentes baptizantes ect. qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui verô non crediderit condemnabitur,

XII

Aperiendi quoq; modus Act. 26. describitur his verbis: ad hoc enim apparui tibi vt constituam te ministrum ac testem, & eorum quæ vidisti & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, vt aperias oculos eorum. vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, quæ est erga me,

XIII

In hisce Dei verbis sunt quinq; quæ huc faciunt I. Paulus vocatur à Deo, constituitur

minister

minister & testis doctrinæ 2. Potestate hac instructus, dicitur aperturus esse oculos eorum ad quos mittitur 3. hanc oculorum apertionem, sequitur à tenebris ad lucem conuersio, & liberatio à sathanæ tyrannide, Vnde efficitur vt Deo restituantur qui prius sathanæ imperio mancipati fuerant 4. modus huius apertionis & liberationis explicatur, nempe per peccatorum remißionem 5. monet hanc remißionem peccatorum percipi fide erga Deum.

XIIII

Ex his promptum est colligere, primum quod hæc potestas alligata sit potius verbo quam personis. Deinde quod exerceri debeat iuxta normam Christi. Tum quod qui electus à Deo ecclesiæ minister, verbum Dei purum nullisque viciatum humanis commentis affert, is iure gloriari poßit, se has ecclesiæ claues adferre.

XV

At contra, qui humanas traditiones, vt Papa princeps Synagogæ hypocritarum, proponit, aut sine verbo enthusiasmos iactat, frustra de his ecclesiæ clauibus gloriatur.

XVI

Papa enim eum in ecclesia non sit, nisi velut idolum in templo Dei, & verbum Dei pro nihilo habeat & quod Dei est proprium sibi arroganter ascribat, nullas claues nisi abyssi habere putandus est, quibus non regnum cœlorum sed scelerum potius & damnationis aperit, non quidem vt quemquam educat, sed potius introducat nunquam educendos.

XVII

Qui igitur claues papam habere regni cœlorum dicunt, & propterea se illi subijciunt tamquam vicario Christi, antichristiani potius quam veri Christiani dicendi sunt.

XVIII

Etsi autem ea quæ hactenus sunt dicta vtcumq; nobis potestatem clauium deliniant, tamen vt plenior sit explicatio, distinctius partes huius facultatis, & ea quæ cum illa coniuncta sunt, excutiemus.

XIX

Eorum itaq; sententiam amplectimur, qui

qui in duobus vniuersam ecclesiæ potestatem sitam eße dicunt, nimirum in ordine & iurisdictione. vnde duplicem potestatem ecclesiæ faciunt, vnam ordinis alteram iurisdictionis. Sed vtraq; plures habet partes.

XX

Ordo duplex in ecclesia videtur omnino neceßarius, Personarum vnus, & administrationis spiritualis alter.

XXI

Personarum ordo in ecclesia semper fuit docentium & discentium, inter quos vt quisq; donis, vocatione, labore & rerum longo vsu emicuit: Ita dignitatis gradum cum in loco tum in sententia dicenda (absq; tamen omni dominio in reliquos) obtinuit.

XXII

Hunc ordinem qui ambitione abolere conantur, non solum superbi & arrogantes sunt,

verum etiam confusionis & ataxias in ecclesia patroni existunt, Nam ex illa confusione aliud sequi nequit, quam ecclesiasticæ politiæ vastatio horrenda.

XXIII

Quare pietas ipsa suadet, amor ordinis & primitiuæ ecclesiæ exempla monent, vt alij præsint, alij subsint, quo synodi necessariæ conuocari posint, & petulantia ingeniorum coherceatur, ne licentia omnes reddantur deteriores, quemadmodum hodie (prodolor) fieri videmus.

XXIIII

Neq; tamen ideo primatum Papæ reuocamus, sed iuxta consuetudinem veteris ecclesiæ pios, doctos & longa experientia comprobatos antistites præficiendos reliquis presbyteris, sicuti in hoc regno fit, iudicamus.

XXV

Ordo administrationis spiritualis, duas habet partes, vnam quæ est facultas claudendi & aperiendi

rendi regni cœlorũ iuxta præscriptum Christi alteram quæ regimen dicitur, quo reguntur & pascuntur recepti in Christi regnum. doctrina (cum qua τὰ προτρεπτικά coniungimus) Sacramentis & cæremonijs.

XXVI

Doctrina non aliunde petenda est quam ex scriptis propheticis & apostolicis, quæ doctrina ut dexterè applicetur auditoribus, necessaria sunt, τὰ προτρεπτικὰ hoc est admonitiones, obiurgationes, comminationes, consolationes, ut integer sit homo Dei etc.

XXII

Sacramenta agnoscit ecclesia Christi non alia communia & perpetua, quam baptismum & cœnam domini, ab ipso domino instituta, quæ sunt noui testamenti sacratissima eaq; efficacia testimonia.

XXIII

Hæc Sacramenta ecclesiæ Christi, Papa partim mutilat, partim abolet, partim fœdis inficit traditionibus & additamentis.

Cæremo

XXIX

Cæremoniæ quæ sunt ritus ad regendam ecclesiasticam politiam vtiles, aut decori aut ordinis gratia institutæ esse debent.

XXX

Vt autem decori partes sunt duæ, prior vt excitemur ad pietatem illis adminiculis, posterior vt modestia & grauitas in pietatis tractatione eluceat: ita ordinis partes sunt tres, prima vt præsidentes habeant certam regulam agendi, secunda vt auditores assuefiant ad obedientiam & disciplinam, Tertia, vt benè composito ecclesiæ statu, paci & tranquillitati consulatur.

XXXI

Has cæremonias non necesse est esse similes vbiq; in ecclesia, imo vtile est ad tollendam opinionem necessitatis & ad confirmandam libertatem Christianam diuersas esse, si modo hoc vbiq; seruetur, vt omnia ad ædificationem, ordinem & εὐσχημοσύνην fiant.

Non

XXXII

Non enim cæremoniarum similitudo, sed consensus in doctrina, in usu sacramentorum, & obedientia erga euangelium, veræ ecclesiæ sunt notæ

XXXIII

Male igitur faciunt, qui damnant eas ecclesias, quæ eisdem nobiscum non utuntur cæremoniis, cum tamen eundem cum illis deum inuocamus, vera in Christum fide recumbentes,

XXXIIII

Verum si fraudulenter papistæ urgerent reformatas ecclesias, ut abolitos propter superstitionem ritus, natura tamen adiaphoras reciperent, iudicamus piorum pastorum officium esse, fraudibus istis se opponere, ne vel infirmi offendantur, vel fenestra aperiatur ad corruptelas in doctrina.

XXXV

Præterea eos quoque male facere iudicamus qui nulla iusta causa moti sed tantum ut suo ingenio satisfiat, subinde mutant in ecclesia cæremonias,

Nostros

XXXVI

Nostros proinde episcopos & pastores rectius facere statuimus, qui ordinationem ecclesiarum danicarum cum suis caremonijs, ut sanctam & piam, diuina autoritate & ecclesiæ approbatione suffultam retinent, iuxtaq; eam ecclesias administrant.

XXXVII

Iurisdictio ecclesiæ est facultas iurisdicendi in ecclesia, cui quatuor rectè subijci iudicamus, quorũ primum est vocatio ministrorum, & ordinatio secundum, vocatorum exploratio. Tertium, doctrinæ iudicium, quartum, disciplina, quibus accedit bonorum ecclesiasticorum administratio.

XXXVIII

Vocandi ministros ad functiones ecclesiasticas ius residet apud totam ecclesiam, nam iuxta apostolicam traditionem & exemplum, ecclesia congregata, hanc vocationem inchoauit à precibus, deinde suffragijs electum sistebant coram antistite & presbyterio, ut illorum

autho-

authoritate vel confirmaretur vel iustas ob causas improbaretur electio.

XXXIX

Antistes cum presbyterio doctrina & vitam vocatorum deligentißime explorraunt, ne contaminarent se alienis peccatis. exploratos autem & idoneos iudicatos, manuum impositione & precibus ministerio ecclesiæ consecrarunt. Hæc ratio cum vocandi tum ordinandi ministros ecclesiæ in ordinatione danicarum ecclesiarum iuxta apostolicam tradionem præscribitur,

XL

Portenta illa, cacozilla quadam Aaronica à papistis inuecta, per quæ mißis celebrandis inaugurantur sacrafìculi, vt cum apostolica traditione pugnantia & contaminantia fedè sacrum ministerium, excëramur, qualia sũt vnctio rasura & aliæ inepta cæremoniæ, quæ adhiberi solent in sacrificulorum initiationibus, vna cum impio cælibatus voto,

Quam

XXXXI

Quantum autem ad iudicium doctrinæ attinet, hoc in vniuersum tenendum est, quôd vt ecclesia habeat ius imo mandatum etiam approbandi & retinendi veram doctrinam: ita poßit & debeat omnem falsam & erroneam doctrinã improbare ac reijcere, sine omnium Synodorum expectatione.

XXXXII

Verûm in rebus dubijs, Synodi piorum doctorum ac longo vsu expertorum virorum censura expectanda est, & iuxta eam agendum, modô ex verbo Dei extructa demonstretur, quemadmodum Symbolum apostolicum & Athanasianum, item confeßio Augustana, quam ideo pios omnes recipere decet, quia ex verbo Dei euidentißimè extructa eße conuincitur.

XXXXIII

Qui autem illos pro hereticis habent & doctrinæ corruptoribus, qui confeßionem Augustanam incorruptam retinent, tranquillitatis ecclesiæ apertißimi hostes sunt.

XLIIII

Et quoniam multa sunt inscripturis non omnibus obuia, Christus donat suam ecclesiam dono interpretationis, quod quidem non alligatum est certo hominum ordini aut successioni, vt sacrilegus Papa contendit, sed illud donat Deus quibuscunq; voluerit, & maxime ijs, qui ad id piè vocati sunt, vt qui donis quæ habent ad ædificationem vtuntur, iuxta illud: habenti dabitur.

XLV

Tertia iurisdictionis pars est disciplina, eaq; duplex, cleri (quæ canonibus continetur) & communis, quæ ad totum ecclesiæ corpus pertinet.

XLVI

Nititur autem hæc disciplina dicto domini Matth: 16. Si peccauerit in te frater tuus etc.

XLVII

In hac domini concione quatuor sunt po-

tissimum obseruanda 1, Christi mandatum catholicum quod sine scelere contemni non potest 2. priuata correptio, quæ fundamentum est disciplinæ ecclesiæ 3. gradus priuatæ correptionis tres, 4. sententia contra inemendabilem.

XLVIII

Huc anathematismus (cuius iam nullus verus in ecclesia est vsus) & excommunicatio externa pertinet.

XLIX

Nam spiritualiter is qui fidem abijcit & spiritum sanctum excutit, excluditur ipso facto à spirituali & inuisibili Christi regno, quæ exclusio tametsi sub potestate spirituali clauium cōtinetur, tamen ad disciplinam ecclesiasticam nequaquam pertinet.

L

Porro excommunicatio externa qua scele-
rati

rati præsentes & noti (nam in absentes & ignotos stringi hic ecclesiæ gladius nec debet nec potest) excludantur ab externa ecclesiæ societate, & potißimum a sacra Christi communione, ita moderanda est, ne vel castigationis seueritas errantem in desperationem adigat, vel impunitas, quæ peccandi illecebra est, malos reddat audaciores.

LI

Huius externæ excommunicationis tres sunt fines. Primus, ne cum dei contumelia inter Christianos nominetur, qui vel hæreticam doctrinam fouet, vel turpem aut flagitiosam degit vitam. Secundus, ne aßidua malorum consuetudine boni corrumpantur. Tertius, vt lapsi, pudore suffusi, tandem resipiscant ac ecclesiæ reconcilientur.

LII

Ex his finibus satis apparet in hac castigatione scelerum, gloriam Dei quærendam eße, ædificationem ecclesiæ & resipiscentiam lapsi, quo si respexerimus, non erit difficile seueritatem æquitate temperare.

LIII

Verum vt cautior sit ecclesiæ disciplina in his corruptißimis multorum moribus, qui Chrstiani censeri volunt, censemus sequendas esse duas Augustini regulas, quarum prior quidem est de peccatis in multitudinē grassantibus: Non asperè (inquit) quantum ego existimo, non duriter, non modo imperiose, ista tolluntur magis docendo quam minando, sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Posterior verò de paucorum flagitijs est: seueritas (inquit) exercenda est in peccata paucorum.

LIIII

Vtraq; regula finibus legitimæ excommunicationis deseruit. Nam si contra priorem faceret censor disciplinæ, magis turbaret paucos bonos infirmos quam multos animosos malos emendaret. Si contra posteriorem, paulatim ita spinæ crescernt donec suffocaretur triticum.

LV

Ne autem incautè & imperitè hæc eccle-

siæ cen-

ſiæ cenſura adhibeatur, diſcrimina lapſuũ diligen-
ter ſunt obſeruanda.

LVI

Lapſus autem omnis aut eſt occultus aut manifeſtus, occultus qui non ſimpliciter latet, ſed qui paucis admodum innotuit. Manifeſtus verò qui aut toti eccleſiæ aut maximæ eius parti ſcandalum præbuit.

LVII

Quantum quidem ad prius genus attinet, omnium Chriſtianorum eſt qui quidem eius ſunt conſcij, illud doctrina admonitione, correptione, iuxta Chriſti regulam corrigere.

LVIII

At publicè noti lapſus, ſi delicta ſunt, publicè coram omnibus arguantur, idq; ſatis eſt ſi corrigi ſe ſinant delinquentes, At ſi flagitia ſunt, excommunicentur eorum authores, quatenus excommunicationem non impediant ſuperiores regulæ.

LIX

Præterea inter flagitia & errata iuris, quæ ad βιωτικά pertinent, hoc iuxta pauli doctrinam tenendum est discrimen, vt illa quidem excommunicatione castigentur, hæc verô iudicis legitimi sententia in bene constituta repub: corrigantur.

LX

Verum in hac ecclesiasticæ disciplinæ parte eam moderationem adhibendam iudicamus, vt nec sine sententia senatus ecclesiastici exerceatur, ne videatur iniuria fieri reo, nec sola pastoris censura fiat, ne priuato affectu regi, vel priuatam iniuriam vlcisci videatur pastor, Sed quorundam grauium virorum, qui vice totius ecclesiæ funguntur, iudicio exerceatur, vt maiori cum grauitate hic ecclesiæ gladius stringi videatur, ita tamen, vt pastor magna cum grauitate excommunicationis sententiam, nomine ecclesiæ & authoritate Christi promulget.

Caterum

Cæterum excommunicatum post seriam pœnitentiam contra Donatistarum impium dogma recipiendum in ecclesiæ societatem certô statuimus. Sed hoc seruato ordine. Primum sicuti excommunicati flagitia erant nota, ita eiusdem dolorem ob admissum flagitium notum esse oportet, idq; veræ pœnitentiæ testimonijs. Deinde vt supplex, non minis pastoris adactus, veniat ad pastorem vt testetur suam resipiscentiam. Tum vt pastor, adhibitis testimonijs exploret vera ne sit eius resipiscentia necne. Postremô vt agnoscentem suum lapsum in ecclesiam, authoritate ecclesiæ & mandato Christi recipiat, additis pro illo precibus, vt postea in vera pœnitentia perseueret.

LXII

Sed quid faciendum si constat de atroci facto, & eius author ignoratur? Hic pastor

publicè deploret calamitatem eius, qui se suo flagitio excluserit de spirituali Dei familia, & ad pœnitentiam inuitet, & satisfactionem damni, cum admonitione seria de periculo eorum, qui ita se sponte abscindunt à Christi corpore & mancipiant Sathanæ

LXIII

Subiecimus iurisdictioni ecclesiasticæ administrationem bonorum ecclesiasticorum, in qua re magna prudentia adhibenda est, ne illa bona vel fiant instrumenta voluptatum, vel conferantur indignis, qui ecclesiæ & reipub: nunquam seruire potuerunt, vel ab ijs ad quos iure pertinent auferantur. Iniustissimum enim est ecclesiarum ministris imponere pensiones, quas illi persoluant hominibus, qui nec ecclesijs ministrant nec reuera egeni sunt,

LXIIII

Gratianus adducit Augustini veteris ecclesiæ consuetudinem referentis verba, ac

testa-

testatur stipendia ecclesiæ, hoc est annuos reditus & donationes in quatuor debere distribui partes, ut prima detur episcopo & familiæ eius, propter officiū & hospitalitatem, secunda, clero, hoc est, ut ego existimo, primum docentibus & discentibus in ecclesia. Deinde ijs qui iam morbo vel senio confecti olim ecclesiæ seruierunt, Tum illis qui suis laboribus in studijs ecclesiæ vtilibus hoc meruerunt, qui veluti milites in vsum ecclesiæ foueri debent. Tertia pars conferatur pauperibus, qui verè sunt tales, quorumq; vita pia & honesta fuit & est. Quarta pars templis & domorum fabricæ reseruetur

LXV

Verum hoc interim iusta ratione addimus quod vbi vberiores ecclesiæ sunt reditus, & ibi bene prospectum estijs de quibus modo diximus, poßit pius magistratus, imo debeat tanquam œconomus & nutricius ecclesiæ, bonorum quæ supersunt custos eße. Primum ne ab ociosis ventribus qui nec seruierunt vnquam,

nec seruiunt nec seruire possunt ecclesiæ occupentur. Deinde vt se istis bonis muniat aduersus imminentia ecclesiæ pericula. Tum vt habeat quo munificus esse possit, in pios exules, & alios de ecclesia benemeritos.

LXVI

Interea illis qui ad prophanos vsus & ad voluptates priuatas recipiunt bona ecclesiæ, dictum velim illud Esaiæ: Veh qui predaris, cum consummaueris esse predator, predationem patieris.

QVAESTIO THEOLOGICA.

Rectène fecerit nec ne sanctus Laurentius, quôd potius voluerit mortem oppetere, quã praefecto tyranni thesauros ecclesiæ tradere.


Bonis nocere quam malis prodesse .14


Greg.

Consideratio p̃mij nimium

minuit flagelli.










9
10